

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

Level Two Medieval Latin Examination

**13 April 2023 - 1:00–4:00 p.m.
Online / Lillian Massey Bldg. 301**

.....

Translate **ALL FOUR** passages. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. You may print the exam if you wish to have a hard copy, but your translation must be entered online. **DO NOT USE PENCIL.** You have three hours in which to complete the examination.

.....

1. What humans actually see in the divine “theophanies” (John Scotus Eriugena):

Dominus dicit in evangelio: “Angeli eorum semper vident faciem patris mei qui in caelis est.” Item: “Qui diligit me, diligitur a patre meo, et ego diligam eum, et manifestabo me ipsum ei.” In epistula sua Iohannes: “Scimus quia filii dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus autem quia, cum ipse apparuerit, videbimus eum sicuti est.” Paulus item: “Videmus nunc per speculum in enigmate, tunc autem faciem ad faciem,” caeteraque id genus. Quid, inquam, vident homines et angeli, vel visuri sunt, dum apertissime et sanctus Ambrosius et Dionysius Ariopagita absque ulla cunctatione inculcant deum, summam dico trinitatem, nulli per se ipsam unquam apparuisse, nunquam apparere, nunquam apparituram? Apparebit itaque in theophaniis suis (hoc est in divinis apparitionibus) in quibus iuxta altitudinem puritatis et virtutis uniuscuiusque deus apparebit. Theophaniae autem sunt omnes creaturae visibles et invisibles, per quas deus—et in quibus—saepe apparuit et apparelit et apparitus est.

2. Nature, personified, laments the demise of virtue (Alan of Lille):

Heu, quam praecipitem passa ruinam
virtus sub vitio victa laborat!

Virtutis species exulat omnis,
laxantur vitio frena furoris.

Languet iustitiae Lucifer^{*}; huius
vix umbrae remanet umbra superstes
extinctumque sui sidus honoris
deflet, lucis egens, noctis abundans.

Dum fulgur scelerum fulminat orbem,
nox fraudis fidei nubilat astrum
virtutumque tamen sidera nulla
istius redimunt noctis abyssum.

Incumbit fidei vespera mundo
nocturnumque chaos fraudis habundat.

Languet fraude fides, fraus quoque fraudem
fallit fraude, dolo sic dolus instat.

Mores moris egent moribus orbi,
leges lege carent, iusque tenoris
perdunt iura sui. Iam sine iure
fit ius omne, viget lex sine lege.

*The planet Venus, here “star.”

3. The origins of the feast of the Saturnalia: Janus honours Saturn after having learned agriculture from him (Macrobius):

Hic igitur Ianus, cum Saturnum classe pervectum excepisset hospitio et ab eo edoctus peritiam ruris ferum illum et rudem ante fruges cognitas victimum in melius redegisset, regni eum societate munerauit. Cum primus quoque aera signaret, servavit et in hoc Saturni reverentiam, ut quoniam ille navi fuerat advectus, ex una quidem parte sui capitinis effigies, ex altera vero navis exprimeretur, quo Saturni memoriam in posteros propagaret. Aes ita fuisse signatum hodieque intellegitur in aleae lusu, cum pueri denarios in sublime iactantes “capita!” aut “navia!” lusu teste vetustatis exclamat. Hos una concordesque regnasse vicinaque oppida communi opera condidisse in promptu est, etiam illud, quod posteri quoque duos eis continuos menses dicarunt, ut December sacrum Saturni, Ianuarius alterius vocabulum possideret. Cum inter haec

subito Saturnus non comparuisset, excogitavit Ianus honorum eius augmenta ac primum terram omnem dicioni suae parentem Saturniam nominavit, aram deinde cum sacris tamquam deo condidit, quae Saturnalia nominavit.

4. Charles IV prescribes rules for the “safe conduct” of imperial prince-electors (*Golden Bull*, 1356):

Qualis esse debeat conductus electorum, et a quibus. Decernimus et presenti edicto imperiali perpetuo valituro sancsimus ex certa scientia et de imperialis plenitudine potestatis ut, quotienscumque et quandocumque futuris temporibus necessitas sive casus electionis regis Romanorum in imperatorem promovendi emerserit et principes electores ad electionem huiusmodi iuxta antiquam laudabilem consuetudinem habuerint proficisci, unusquisque princeps elector, si et quando super hoc fuerit requisitus, quoslibet principes coelectores suos, vel ipsorum nuncios quos ad electionem ipsam transmiserint, per terras et territoria et loca sua et eciam ultra, sicut longius poterit, conducere teneatur et eis absque dolo prestare conductum versus civitatem in qua talis electio fuerit celebranda et ab illa eciam redeundo, sub pena periurii ac perditionis, pro illa dumtaxat vice, sue vocis quam in electione huiusmodi fuerat habiturus. Quas quidem penas eos vel eum, qui in prestando memorato conductu rebelles seu rebellem, negligentes vel negligentem, se prebuerint, eo ipso decernimus incidisse.